Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2049
Quelle:
Copyright:

Secundum Opusculum fol. 85. dicatum *Ferdinando* II. Rom. Imp. cui simul et primum transmittit Autor, tractat praecipue *de extremo Judicio.* In Dedicatione subscripta *anno regnantis gratiae 1628 Adi 25 Aprilis* ait *Buschius* de sua methodo: *Vnd schreibe also, wass mein Geist mihr durch mischung des Geistes Gottes in meine meditationibus so ich meistheils halte des morgendes fru halte, ein falle solliches notire ich midt auffstebende* &c. Narrat praeterea se a degustata Grammatica ad mercaturam translatum rem probe auxisse, sed interiisse omnia per infidos ministros, naufragia et contracta nomina, maxime *Unius* culpa, de quo lepide: *weiln ich mich nicht an ihm rechnen khan, so habe ich die Sach Godt befholen.* Tractatus ipse in IX. ut vocantur, *Punctula* tributus est, quorum postremi argumentum est novi Coeli, novaeque Terrae post Judicii diem Creatio. Nec *Mollerus* in *Cimbria lit.* nec *Reimmannus* in *Bibl. Theol.* ubi de *Scriptis fanaticis* agit, Nostri notitiam habuisse videtur. An ad eos pertinuerit, quos petit Scriptum Ministerii Lubec. Hamb. et Luneb. *Ausführlicher Bericht von den neuen Propheten, die sich Erleuchtete* &c. *nennen*, *Lubecae* 1634. dicere non habeo.

DXXXVII.

95 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. scriptus Folior. 137. f. continet *Libros* IV. *priores* de XXIV. quos Sec. XVI. *Aegidius Gutmannus* vir παραδοξολογος sub titulo: *Offenbarung göttlicher Majestät*, i. e. Revelatio divinae Majestatis, instar Commentarii in prima 24. Vocabula hebraica C. I. *Libri Geneseos* somniavit, quique typis prodiere primum *Hanoviae* 1619. 4. et iterum *Francof.* seu *Halberst.* 1675. 4. Cura *H. Ammersbachii.* De utraque editione admodum rara, magnoque jam saepius impendio procurata vide *Bibl. Reimman.* P. II. p. 682. et *J. G. Schelhornii Amoenit. lit.* T. III. p. 166. V. p. 293. Res, si *Reimmannum* audias, hoc in Opere *Paracelsisticae*, *Rosencrucianae*, *Paradoxicae* sunt. Praefatio admodum prolixa agit de *Bibliotheca*, quam Deus in I. *Geneseos* C. generi humano reliquisse dicitur. Quid contineat, an etiamnum integra sit, an accedi, legique possit. Inter cetera: *Ob nit in einem yeglichen wortt des Ersten Capittels, Ein sonders Buech Gottes, In einer solchen Grösse, verfasset sey, Wann dassellbig nach lengs verzaichnet werden solte, Das solches Buech, das ganz Europa nit fassen, vilweniger ertragen möchte.* Libro dein I. commentatur Noster in verba: *Im Anfang* i. e. In Principio. L. II. in verba *hat Geschaffen* i. e. creavit. L. III. in vocem *Götter* i. e. Dei, secutus hebraicum אלהים. L. IV. in vocem *Wasser* i. e. Aqua; sic enim hebraicum השמים interpretatur.